

presbyteris conferri solitam confirmationem, ab episcopis vero apud occidentales; inde ait, plurimis in locis ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis divinæ necessitatem factum esse, ut episcopi manus imponerent in Spiritum s. quatenus dat robor et fortitudinem. Non igitur de confirmationis natura et dignitate disserit Hieronymus, sed de ipsius usu, effectu et ministro, ut virtutem baptismi vindicet juxta Ecclesiæ ritum etiam in hæresi suscepti (1).

III. *Obj.* Materia, forma, minister et finis hujusmodi latinorum confirmationis, ecclesiasticam ejus institutionem producit. 1. Materia enim sacramentorum, quæ certo a Christo instituta sunt, est simplicissima, aqua scilicet pro baptismo, panis et vinum pro eucharistia, in confirmatione vero manuum impositio, oleum, balsamum, etc. Forma vero illis verbis concepta est; quæ valde abhorrent a majestate evangelica, nempe *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis*, quæ puerilitatem redolent. Ministri ceterorum sacramentorum juxta catholicos, si ordinationem excipias, sunt sacerdotes, hujus autem soli episcopi, qui admodum rari sunt, ac in pluribus regionibus nulli inveniuntur. Hinc ingens multitudo tam salutari sacramento perpetuo carere deberet, quod a Christi bonitate alienum est. Finis denique ob quem instituta dicitur confirmatio, esset communicandi spiritum roboris ac fortitudinis, jam vero Paulus hunc effectum tribuit ipsi baptismo, seu evangelicæ disciplinæ, scribens I. Timoth. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.* 2. Concludendum igitur est, confirmationem non esse, nisi ecclesiasticam caeremoniam, manuum impositioni curatorie, quæ cum apostolis cessavit, seculo circiter Ecclesiæ III. substitutam per chrismatis consignationem, cujus nullum vestigium occurrit in Actis apostolicis. 3. Quo factum est, ut mire inter se dissentiant catholici circa institutionem, materiam, formam, ministrum, subjectum, ritum, necessitatem, genera probationum, effectum, caeremonias ejusmodi novitii sacramenti. Ergo.

*Rep. Neg. Ant.* quod totidem falsis suppositionibus, ut aiunt, laborat. Norunt siquidem eruditi 1. incertum esse num balsamum ad essentiam hujus sacramenti pertineat, quod ut innuimus, longe probabilius plerique inficiantur. 2. Incertum est num omnia verba illa: *Signo te, etc.*, constituent formam essentialem ejusdem sacramenti, ut inferius videbimus. Adde ejusmodi formam desumptam esse ex Apostolo scribente II. Cor. I. 21: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, nullam propterea puerilitatem redolere potest. 3. Incertum esse, num facultas, quæ jure ordinario competit episcopis a di-

Hæc loquendi formula abusi nonnulli sunt, præcipue vero luciferiani, quos refellit s. Hieronymus, ut efficerent ab hæreticis baptizatos Spiritum sanctum minime assecutos esse, eo magis, quod ariani sacramentum confirmationis minime administrarent.

(1) Cf. Vallars. in adnot. in hunc loc. nempe n. 9.

vino an ecclesiastico jure, ut pariter videbimus, repetenda sit; illud porro certum est, posse hanc facultatem a romano pontifice communicari presbyteris. Deus præterea, cum opus fuerit, supplere potest extraordinaria ratione defectui mediocri exteriorum, præsertim cum agatur de sacramento ad salutem non absolute necessario (Cf. s. Th. 3. p. q. 72. a. 1). 4. Falsum esse Apostolum in cit. loc. agere de baptismo aut evangelicæ disciplina, cum loquatur de gratia, quam per sacram ordinationem acceperat Timotheus, ut series orationis ostendit. Cum itaque partim incerta, partim falsa sint, quæ adversarii assumunt ad impugnantiam hujus sacramenti veritatem, sponte sua corrumpunt conclusiones inde deductæ.

*Ad 2. Neg.* Hæc namque sunt mere conjecturæ argumentis negativis innixæ, quibus obstant omnia quæ adduximus argumenta positiva, et quod capit est, sensus traditionalis perpetuus universæ Ecclesiæ, quo solo omnis protestantium machina dissolvitur. Quod vero attinet ad chrisma, nonnulli censent sub generali manus impositionis formula significari in Actis apostolicis. Verum de hoc infra.

*Ad 3. Dist.* Salva tamen veritate sacramenti, C. secus, N. Eam fateantur protestantes, de reliquis autem nondum ab Ecclesia definitis liberum pariter ipsis erit, si lubet, disputare, prout non parum disputant circa baptismum et eucharistiam, quin ea in dubium revocent.

IV. *Obj.* Falsum, aut saltem incertum est, orientales agnoscere confirmationis sacramentum; id enim non pauci inficiantur illarum regionum missionarii. Ergo.

*Resp. Neg. Ant. Ad. prob. Dist.* Ignorantia aut errore decepti, C. jure ac merito, N. De fide orientalium ecclesiarum circa hoc sacramentum Renaudotius agens, tomo II. *Liturgiarum orientalium* evidenter ostendit, productis certissimis documentis, apud omnes omnino illas ecclesias semper ipsum fuisse receptum, et adhuc administrari. Ostendit præterea, missionarios illos duplici de causa fuisse deceptos, 1. quod cernerent præter consuetudinem Ecclesiæ latinæ confirmationem conferri statim post baptismum; 2. quod viderent illam administrari passim a presbyteris. Hinc factum est, ut in suspensionem venerint, non agnoscere hoc sacramentum ab orientalibus (1). Hæc autem confirmat Assemanus in codice liturgico universæ Ecclesiæ (2), ita ut nullum jam supersit dubium penes eruditos de orientalium fide circa hunc articulum.

#### CAPUT II. DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

Quæstioni de veritate sacramenti confirmationis ideo statim subjicimus quæstionem de ipsius ministro,

(1) Cf. in notis ad *Liturgiam philoxeni*. n. 5. nec non in op. sæpius laudato *De la perpét.* liv. I. ch. 8. suiv.

(2) Cf. Jos. Aloysii Assemani *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ*. Romæ 1730. lib. II. *De confirmatione*, vide etiam ejusdem præfationem § 2. Hic vulgo appellatur Assemanus junior.

ut viam nobis aperiamus ad alterum dogma adstruendum a Tridentina synodo definitum.

Exploratum enim est apud omnes catholicos juxta tridentinam sanctionem, solum episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum; quod et nos vindicabimus adversus Photium, valdenses, wicleffitas, hussitas, ceterosque, qui eos secuti sunt.

Verum circa ministrum extraordinarium non ita sunt inter se consentientes theologi ac eruditi homines, ut nulla apud eos sit controversia.

Morinus in exercitatione de sacramento confirmationis contendit, ejus administrationem presbyteris olim demandatam fuisse non solum in oriente, sed etiam in occidente; et primo quidem in gallicanis ecclesiis, deinde in hispanicis, quemadmodum colligitur ex conc. Toletano I (In fine can. XX). Eandem consuetudinem in Sardinia insula viguisse ex celebri s. Gregorii M. testimonio confirmat (1). De Græcorum deinceps atque orientalium consuetudine disserens, ostendit episcopos, archipresbyteros, atque etiam presbyteros, munus hujusmodi fere promiscue exequi solitos fuisse; illos quidem ordinarie ac proprio jure, istos extraordinarie atque episcoporum concessione. Ægypti denique, potissimum vero Alexandrinæ ecclesiæ, eandem fuisse consuetudinem sanctorum patrum testimoniis et inferiorum temporum scriptoribus et monumentis clare adeo evincit, ut ea de re vix dubitari posse videatur (2). Morino ad stipulantur Christianus Lupus (3), Lucas Holstenius (4), Goarius (5), Renaudotius (6), præstantioresque nostri temporis theologi, qui illorum laboribus et monumentis uti feliciter potuerunt.

Quatuor vero sunt, quæ post veteres nonnullos ab Estio, Petro Aurelio (abbate sancti Cyrani), Sambovio, atque Herminerio adversus præfatam doctrinam opponuntur. Factum videlicet Nicolai I jubentis iterum confirmare, quos sub Photio presbyteri græci in Bulgaria consignaverant; ac tria romano-

(1) Verba s. Gregorii M. in ep. IX. lib. III. ad Januar. episc. Calaritan. hæc sunt: «Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hæc de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.» Alii legunt *baptizandos*, et exponunt s. Gregorium de unctione, quæ adhibetur in ritu ipso baptismi. Hos carpit Morinus et contendit legendum omnino esse *baptizatos*. Ast Maurini edit. opp. s. Gregorii M. codicum auctoritate veram vindicant lectionem quæ est *baptizandos*, ac simul ostendunt, s. pontificem agere de chrismate confirmatorio seu sacramento confirmationis. Cf. adnot. in ep. XXVII. libri IV. Indict. XII.

(2) Cf. Jo. Morini *Opera posthuma*. Vol. I. in 4. Paris. 1705. Exercitatio *De sacram. conf.* a cap. 12. ad 18.

(3) In dissert. *De octava synodo generali*. Calumniam IV. opp. edit. Venet. 1721. tom. III.

(4) *Dissertatio duplex de sacramento confirmat.* Romæ. 1696. iterum reuise ad calcem opp. posthumi. Morini. Cf. Diss. I. *De ministro confirmationis*. Cap. 4.

(5) In *Euchologio*. cit. Cf. not. in baptismatis officium pag. 367.

(6) *Perpétuité, etc.* liv. II. chap. 15. Quibus addi potest Arcudius *De concordia ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacram. administrationibus*. Paris. 1626. lib. II. cap. 10. et seqq.

rum pontificum decreta, constitutio nempe Innocentii III. qui confirmationem a presbyteris Constantiopolitani administratam videtur irritam pronuntiasse; constitutio data ab Innocentio IV. ad episcopum tusulanum, in regno Cypri legatum apostolicum, in qua, ne confirmatio in posterum a presbyteris conferretur, prohibuit, nihil tamen pronuntians de illius valore; instructio demum Clementis VIII. de ritibus Græcorum, qua non modo id ipsum prohibet, verum etiam ex eorum euchologio in ordine baptismi jussit ea verba expungi, quibus statim post baptismum subjicitur ratio administrandi confirmationem; jussit præterea episcopos latinos, sub conditione eos iterum confirmare, qui a presbyteris græcis tincti et confirmati fuerant, præsertim si eos ordinibus insignire debeant.

Ast facilis patet ad hæc omnia responsio. Ideo enim Nicolaus I statuit denuo confirmare Bulgaros, quia, ut alias diximus, Bulgaria provincia spectabat ad patriarchatum occidentalem, quapropter non a Photio, sed a romano pontifice presbyteri delegari debuissent ad dandam confirmationem; eo magis quod erroribus Photii imbuti sacerdotes illi, se ordinaria potestate præditos ad hoc sacramentum conferendum arbitrarentur (1). Innocentii III. decretum ferit presbyteros latinos Constantinopoli degentes, qui ad imitationem græcorum sibi jus arrogaverant confirmandi absque pontificis delegatione, quod occidentalibus nefas erat. Constantinopoli porro tunc temporis erat sub ditione Francorum, patriarcha vero Venetus erat. Sic etiam Innocentii IV. decretum non afficiebat, nisi solos Cyprios, in quos pariter Latini dominabantur, ob peculiaria illius insulæ adjuncta. Cum enim populus plura conspiceret præstari a græcis presbyteris, quam a latinis, istos parvi faciebat; hinc jurgia oriebantur ac similitates, ad quas compescendas venit pontifex, quominus in posterum græci presbyteri in insula consignarent. Instructio denique Clementis VIII. respicit solum Italo-græcos latinis episcopis subjectos, prout postea a Benedicto XIV. pariter sancitum est, ne in diocesi latina græci presbyteri confirmationem administrarent (2).

Ex his colligitur I. Errasse scholasticos illos, qui ex eo quod presbyteri apud græcos et orientales hodie chrismate consignent, intulerunt perinde ac missionarii illi, de quibus antea diximus, sacramen-

(1) Lucas Holstenius Diss. cit. cap. 2. aliud de hoc facto judicium tulit, sic enim scribit: «Nequaquam prævaricari dixerim eum, qui schismatis occasionem causasque nunc diligentius expendat. Inter eas una est, chrismationis sacerdotalis improbatio, ejusdemque iteratio apud Bulgaros.» Ast disputationis astu abreptum eo dilapsus doctum virum reor.

Cf. etiam Morinum Diss. cit. cap. 20. et Christ. Lupum Diss. et loc. cit. Nos adhasinus responsioni Benedicti XIV. lib. VII. de *synodo* cap. 9. § 3. Nicolaum pariter adversus Photium strenue defendit Arcudius op. cit. lib. II. cap. 11. et 12.

(2) Cf. de hoc argumento præter Morinum loc. cit. cap. 22. Lupum loc. cit. more suo pluribus agit Trombellius *De confirmatione* t. II. Diss. X.

Cf. Bened. XIV. Constitut. LVII. § 5. in ejus Bullario tom. I. p. 167. et Constit. CXXIX. § 4. et 5. in eod. Bullario. tom. I. pag. 313.

tum istud in ecclesiis orientalibus minime obtinere. Hunc autem errorem graviter perstringit Benedictus XIV. qui ex Florentino concilio ait certo consequi oportere, Græcorum confirmationem, etsi a sacerdote administratam, a latinis patribus ratam habitam esse, concludens: *Aliis in locis, in quibus chrismatio data a sacerdotibus græcis non est a Sede apostolica expresse improbat, ea pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a Sede apostolica illis concessum: cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia romanorum pontificum; qui prædictum græcorum morem scientes non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt* (Lib. VII, de synodo diœc. l. c.). Ita pontifex. Ex quo intelligimus Tridentinam synodum can. III. cit. anathema dicentem eis, qui affirmaverint, ordinarium confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis presbyterum, respexisse tum eorum errorem, qui eam episcopis reservatam asserebant propter cupiditatem lucri et honoris temporalis; tum etiam eorum, qui presbyteros esse tuebantur ordinariorum hujus sacramenti ministros; minime vero perstrinxisse probatam græcorum et orientalium praxim, apud quos generali quadam dispensatione presbyteri delegati præconcupiunt ad sacramentum istud administrandum: vel potius retentum penes ipsos semper fuit antiquum jus, nunquam a s. Sede sublatum, juxta quod poterant episcopi presbyteros delegare ad conferendam confirmationem (4).

Colligitur II. A vero ablusisse nonnullos theologos, præsertim Gallos, dum inficiati sunt, posse sacerdotem in ecclesia latina, ex speciali delegatione rom. pontificis, confirmationem administrare, etiam chrismate ab episcopo consecrato. Etenim, præter auctoritatem s. Thomæ, qui id expresse docet, cum plurimi romani pontifices hanc sæpenumero facultatem fecerint presbyteris missionariis in Palæstina, ac præcipue in India versantibus, ubi nulli aut admodum rari sunt episcopi, prout refert Benedictus XIV (2), non satis intelligitur, quomodo absque aliqua saltem temeritatis nota, possint theologi orthodoxi id in dubium revocare. Nam si, ut ex Morini exercitatione aliisque quos superius adduximus auctoribus patet, olim jure veteri poterant episcopi etiam in occidentali Ecclesia presbyteros ad consignandum delegare; quare id præstare non poterit romanus pontifex, penes quem residet summa potestas (5)?

(1) De hac distinctione inter jus vetus et novum circa facultatem presbyteros delegandi, ad sacramentum confirmationis administrandum, præter Morinum et Holstenium cf. Christ. Lujum loc. cit.

(2) Op. cit. lib. vii. cap. 7. § 4. et seqq.

(3) Nobis videtur frustra ingenium suum torquere Drouvenius, dum lib. iii. de re sacrament. Q. 7. § 4. scribit: « Gravissimis penesque insuperabilibus argumentis premi sententiam, quam plerique sequuntur, de irrita confirmatione, quam presbyter conferat sine Ecclesiæ aut romani pontificis venia; » dumque profitetur se non assequi, quo pacto irritum evadat sacramentum propter omissam rem, quæ ex divina institutione non sit omnino essentialis, cum sacramentorum essentia a solo divino auctore pendeat. At theologi duplici ratione se ab hac difficultate expediunt. Ceteris porro omissis, communior ea est, quæ doccat per characterem sacerdotalem presbyteros obtinere

Colligitur III. graviter pariter errasse Morinum, Lucam Holstenium et Sirmundum, dum autumarunt olim ab episcopis datam fuisse vel ipsis diaconis facultatem confirmationem administrandi. Unicum ipsorum fundamentum in verbis Innocentii I. positum est, scribentis ad Decentium: *De his vero baptizatis, qui postea a dæmonio, vitio aliquo aut peccato interveniente, arripiuntur, est sollicita dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant consignari. Quod hoc, nisi episcopus præceperit, non licet. Nam eis manus imponenda omnino non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi; ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus ei vel a presbytero, vel a ceteris clericis imponatur* (Cap. 6, n. 9). Jam vero, ut animadvertit Moretus Morini editor, et pluribus confirmat Petrus Coustant ad cit. epist., nullus est hic sermo de sacramento confirmationis, quod tunc temporis una cum baptismo et eucharistia conferebatur. Adde, nimis probare laudata verba, posse nempe episcopum clericis omnibus promiscue facultatem communicare administrandi confirmationem, quod nemo dixerit; præsertim cum Ecclesia romana ægre semper concesserit vel ipsis presbyteris hanc confirmandi facultatem, ut patet ex cit. epist. s. Gregorii M. ad episcopum Calaritanum. Agitur itaque in epistola cit. de ritu episcopis reservato manus imponendi super energumenos.

His prælibatis, jam accedimus ad definitionem concilii Tridentini propugnandam, prout jacet. Dixi prout jacet, cum Tridentinum unice definerit, episcopum esse ministrum ordinarium hujus sacramenti, nec esse communem cum presbyteris facultatem quam habent episcopi confirmandi, quin declaraverit quo jure, divino scilicet an ecclesiastico, id episcopis competat. Nec enim desunt gravissimi theologi, qui jure tantum ecclesiastico ea facultate episcopos poltere contendunt. In hanc sententiam, utpote commodiorem ad solvendas difficultates ac traditioni magis conformem propensum se ostendit, et pluribus argumentis nisus est illam adstruere Trombellius (4). Javerit saltem ea, quæ de fide sunt, secernere ab iis quæ inter theologos disceptantur.

PROPOSITIO. — *Episcopi habent potestatem confirmandi, quæ non est illis cum presbyteris communis; sanctæ enim confirmationis ordinarium minister est solus episcopus, non autem quivis alius sacerdos.*

Est de fide, ut constat ex can. VII. sess. XXIII. Conc. Trid. *Si quis dixerit episcopos... non habere potestatem confirmandi.... et eam quam habent illis esse cum presbyteris communem.... Anath. sit; etque ex can. III. sess. VII. superius recitato.*

Hujus porro assertionis veritas non obscure tra-

potestatem radicalem, ut vocant, et inchoatam ad quadam munia obeunda circa corpus Christi mysticum, perficiendam ab eo qui tali fruitur in Ecclesia auctoritate, a quo scilicet delegationem sacerdotis accipiunt ad ea officia præstanda quæ vi solius characteris præstare non possent. Cf. Bellarm. lib. de confirm. cap. 15. n. 17.

(1) Dissert. X. de Ministro confirm. Sect. 1. Quæst. 2. § 6. et seqq.

datur in Act. apost. cap. VIII. ubi legitur, quod cum audivissent Apostoli recepisse Samariam verbum Dei, miserunt illuc Petrum et Joannem apostolos, atque ideo episcopali dignitate insignitos (1), qui recens a Philippo baptizatis manus imponerent, ac darent Spiritum sanctum.

Hanc autem manuum impositionem præstitisse Petrum et Joannem prout erant episcopi, discimus ex universa ecclesiastica antiquitate, juxta quam receptum videmus, ut soli episcopi manus imponerent ad conferendum Spiritum sanctum. Quapropter scribebat s. Cyrianus, ut vidimus, *Eos, qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerri, ut per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur*. Quo pariter referuntur illa omnia patrum testimonia, quæ capite superiori protulimus, quin necesse sit ea rursus in medium adducere. Ex his omnibus documentis patet, semper in utraque ecclesia orientali et occidentali spectatum fuisse episcopum velut ordinarium confirmationis ministrum, cui nempe ex officio ac proprio jure competit illam administrare, presbyteros vero non nisi ex episcoporum auctoritate et delegatione, donec jure novo hæc delegandi facultas, saltem in Occidente, solis romanis pontificibus reservata est, juxta ea, quæ prænotavimus initio hujus capituli (Cf. Trombelli Dissert. cit. Quæst. 1).

DIFFICULTATES. Obj. 1. Incertum est utrum apostoli tanquam episcopi, an vero tanquam presbyteri confirmationem contulerint. 2. Certe Tertullianus, qui episcopis, presbyteris, diaconis, imo et laicis: *Cum urget circumstantia periclitantis, baptizandi jus tribuit, supponit ab iisdem conferri confirmationem juxta illius ætatis disciplinam, cum eam minime excipiat*. 3. Sic s. Ambrosius lib. de Mysteriis docet: *Unctionem unguenti (confirmationem) fieri a sacerdote* (Cap. 6). 4. Cui assentitur Hieronymus, qui non solum affirmat *Ad honorem potius sacerdotii, quam ad legem necessitatis factum esse, ut soli episcopi consignarent, sed præterea in epist. ad Evangelium interrogat: Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat* (Ep. CXLV. n. 1. ed. Vall.)? 5. *Sola quippe ordinatione, inquit s. Joan. Chrysostomus, superiores (episcopi) sunt et hinc tantum videntur presbyteris præstare* (2). 6. Sed clarius adhuc Beda in Ps. XXVI. docet, unctionem quæ fit per manuum impositionem ab episcopis... et vulgo confirmatio dicitur, eandem esse cum secunda (quæ fit in baptismo): *propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia* (3). 7. Ad hæc accedunt constitutiones apostolicæ, quæ lib. VII. hanc confirmandi facultatem

(1) Hic obiter animadverto, Basnagium contendere, Dei favore demandatam esse apostolis facultatem manus imponendi prout erant apostoli, non prout erant episcopi, ad posteros propterea non transmittendam. At quibus documentis id evincit homo heterodoxus? Catholici e converso ostendunt, apostolos manus imposuisse prout erant episcopi ex sensu et praxi universæ antiquitatis. Cf. Mansi loc. cit. in append. ad diss. X. sec. 2. Nat. Alex.

(2) Hom. XI. in I. ep. ad Timoth. n. 1. Τῶν τῶν μαθητῶν ἢ ἡγουμένων, καὶ τῶν ἱερέων, καὶ τῶν ἱεροφάντων, καὶ τῶν ἑπιτοπίων τοῦ πρεσβυτερίου.

(3) Op. edit. Basl. 1895 tom. viii. col. 529. et seqq.

presbytero non secus ac episcopo ipse supponunt; dicitur enim: *De baptismo, episcopo aut presbyter, jam quidem antea constituimus, et nunc vero dicimus... Unges autem prius oleo sancto; deinde baptizabis aqua; postremo signabis unguento* (1). 8. Agnoscunt hanc eandem facultatem in presbyteris sacri canones; concilium enim Tolet. I. can. XX. *Statutum est, inquit, diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo; præsentem vero, si ab eo fuerit præceptum* (2); conc. Arausicanum I. concedit *Hæreticos in mortis discrimine positos si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbyteris chrismate et benedictione consignari* (3); conc. Rhegense de presbytero statuit: *In ecclesia, in qua ordinatus fuerit consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytos jus habeat* (An. 459. Can. V. ibid. col. 1750); conc. Barcinonense can. II. statuit ut *Cum chrisma presbyteris diœcesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipatur* (An. 599. ibid. tom. III. col. 557). Sed præstat audire conc. Hispalense II. quod can. VII. hæc habet: *Quamvis cum episcopis plurima illis (presbyteris) mysteriorum communis sit dispensatio; quadam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum, et diaconorum, ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis ecclesiam, vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare... Hæc enim omnia illicita esse presbyteris, vel chorepiscopis quia pontificatus apicem non habent, quem solis deberi episcopis auctoritate canonum præcipitur: ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur* (4). Ergo non nisi novellis et ecclesiasticis regulis, et canonum auctoritate presbytero interdictum est confirmationem administrare, uti et alia multa præstare, quæ per se ac jure sibi proprio possent.

Resp. I. Dist. Et hæc omnia ad summum evincerent, ordinarium jus episcopis non competere jure divino proprie dicto, sed solum, ut scholastici loquuntur, *reductive, C.* ipsis non competere saltem jure ecclesiastico, N. Hæc autem quæstio, ut præmissimus, dogma non attingit, sed domestica est, quam theologi juxta diversa placita, prout libet, salva fide tulerunt.

Resp. II. ad 1. Dist. Si cortici literæ inhæreamus, Tr. si traditionem quæ Scripturam exponit, sequamur, N. (5).

Ad 2. Dist. Et eo ipso, quod diaconis et laicis in necessitatis casu tribuat Tertullianus facultatem baptizandi, satis aperte ostendit, non semper cum baptismo administratam fuisse confirmationem, C. aliter, N.

(1) Cap. 22. Πῶς παντοίας, ὁ ἱερέων, ἢ πρεσβυτέρων, τῶν μὲν πρῶτον διατάξαι, καὶ τὸν δι' αὐτῶν... Χριστὸς δὲ πρῶτον... ἵνα ἐπισημανθῆναι ὅσοι καὶ τελευτήσαντες σφραγίσαντες ῥηθῆναι.

(2) Celebratum est autem hoc conc. an. 400. apud Harl. Acta etc. tom. i. col. 992.

(3) Ann. 441. Can. I. ibid. tom. i. col. 1785.

(4) An. 619. ibid. tom. iii. col. 539. et apud card. de Aguirre Collectio maxima etc. tom. 2. pag. 464.

(5) Cf. Trombelli de confir. tom. ii. d. s. X. sect. 1. q. 1.

Inauditum siquidem est a diaconis aut laicis collatum aliquando esse confirmationis sacramentum; cum igitur Tertullianus presbyteros conferat cum diaconis in collatione baptismi, hoc ipso significat presbyteros non contulisse confirmationem una cum baptismo. Imo suo loco vidimus, jus conferendi baptismum Tertulliano soli episcopo tribuisse, multo proinde magis soli episcopo jus tribuit administrandi confirmationem. Demum, quod ille tantum insinuat, scriptores reliqui eidem suppare expresse docuerunt.

Ad 3. Dist. Ita ut sacerdotis nomine ibi episcopum s. Ambrosius significet, C. presbyterum, N. Quod ex orationis serie patet. Paulo ante jam vocaverat sacerdotem summum (1).

Ad 4. Neg. Ad priorem autem textum s. Hieronymi, D. Ad honorem potius sacerdotii, etc., spectata divina Christi dispositione, Tr. spectata dispositione Ecclesiae, N. (2).

Ad alterum vero pariter D. Quid facit, etc., iure ordinario vel extraordinario, C. ordinario, N.

Ad 5. Eadem esto distinctio; siquidem et s. Joan. Chrysostomus id unum significat, posse scilicet facultatem, quae propria episcopi sit, communicari extraordinaria ratione ipsis etiam presbyteris, si ordinationem excipias.

Ad 6. Dist. Ratione materiae, ut aliqui contendunt, C. ratione efficaciae et virtutis vel N. vel subd. quae juxta Bedam jure ecclesiastico adempta est presbyteris, Tr. secus, N. Reor porro verum sensum hujus obscurissimi textus esse, unctionem, quae nunc reservata est jure ordinario solis episcopis, eandem omnino esse ac secundam, quam olim passim presbyteri ex dispensatione conferebant confirmando baptizatos; quae facultas postea presbyteris ob nonnullorum arrogantiam ablata est, ac reservata soli episcopo. Hinc

(1) Cap. 2. n. 6. ubi scribit: « Vidisti illic (in regenerationis sacrificio) levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem, » id est, episcopum, quem ibi perhibet ministrum baptismi praesentibus testibus, diaconis nempe et secundi ordinis sacerdotibus: eundem porro conferentem confirmationem exhibet cap. 6. cf. ed. Maur.

(2) Alludit s. doctor in objecto textu ad usum passim in Oriente receptum, ut presbyteri, ex facultate sibi demanda, neophytos consignarent. Hic autem usus, ut obiter dicam, in Orientalibus Ecclesiis ideo invaluit, quod retenta illic fuerit antiqua disciplina tria simul administrandi sacramenta, baptismum, confirmationem et eucharistiam, quae adhuc obtinet. Crescente baptizandorum multitudine, cum non possent episcopi per se praesto esse omnibus initiandis, in pagis praesertim et in villis, facultatem cederunt presbyteris administrandi sacramentum confirmationis. Hinc receptum est, ut ab Orientalibus universis unica semper ad haec usque tempora unctio fieret, quae est confirmatoria. Cum vero in ecclesia occidentali passim sibi solis chrismae administrationem episcopi reservaverint, ne baptizati a sacerdotibus sine ulla omnino unctione ex hac vita migrarent, receptum est, ut presbyteri in ipsa baptismi actione in vertice a se baptizatos ungerent, episcopi vero postea frontem linirent administrando sacramentum confirmationis. Haec duplicis unctionis divisio, vulgo s. Silvestri pontificis institutioni adscribitur, at res est incerta, cum trium sit apud eruditos, secreta et acta, quae sub Silvestri nomine circumferuntur, supposita esse; nec Damasus (alius a Damaso I. pontifice) qui id tradit in Pontificali magnam fidem meretur, utpote qui forte haec scripsit non ante annum fere octingentesimum. Illud certum est, mentionem fieri hujus verticalis unctionis ab auctore lib. de Sacramentis lib. III. cap. 7. item initio et fine lib. IV. qui sub nomine s. Ambrosii citatur.

non cogimur cum abbate s. Cyrani, tanquam corruptum traducere ejusmodi textum prout ipse contendi absque codicum auctoritate, ut suis praconceptis opinionibus indulgeat.

Ad 7. Dist. Supponunt Constitutiones apostolicae inesse presbytero facultatem confirmandi, cum debita ab episcopo dependentia, C. per se, N. (Cf. Cotel. in adnot. in. h. l.).

Ad 8. Dist. Et haec aliaque ejusmodi concilia agnoscunt in presbyteris hanc facultatem ex episcopi delegatione ipsis factam, prout ferebat antiquum jus juxta dicta, C. sibi propriam atque ordinariam, N. Sane non aliud evincunt adductae auctoritates, si bene perpendantur, praesertim vero synodus Hispanensis, prout ejus verba aperte ostendunt (1).

#### CAPUT III. DE MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

Valde implexa est controversia de materia et forma confirmationis, si decertantium numerus, auctoritas ac rationum pondus spectentur, quibus illi innituntur ad suam quisque sententiam propugnandam, rem in abstracto, ut aiunt, seu theoretice inspiciendo; nullius vero momenti est, in concreto atque in praxi eam considerando. In praxi enim Ecclesia tum manus impositionem, tum chrismae consignationem usurpat una cum verbis, quae utramque actionem comitantur.

Quatuor in abstracto, ut dixi, numerantur sententiae circa materiam essentialem et adaequatam hujus sacramenti, ideoque et circa formam, de qua postea.

1. Nonnulli theologi contendunt, in sola manu impositione essentialem et adaequatam confirmationis materiam consistere, ut Isaacus Habert, Sirmondus, Sambovius, Herminierius. 2. Alii propugnant, in sola chrismae unctione eam collocandam esse, ut s. Thomas, Bellarminus, Maldonatus, Poncius, Farvaquezius,

(1) Quidam recens auctor verba conc. Hispanensis II. *Novellis et ecclesiasticis regulis* exposuit de *legibus novi testamenti*. Quae quidem expositio plane inaudita adversatur toti contextui, ut per se constat, quia aliud adjiciamus. Itaque longe melius Lucas Holstenius dissert. I. *De minist. conf.* cap. 4. pag. 12. recitato can. VII. subdit: « Ubi nota; non jure divino, non veteri Ecclesiae instituto, sed *novellis et ecclesiasticis regulis* haec verba dici, Innocentii scilicet I. decreto, cujus verba citat. Neque hoc solum in publica Boticae synodo, cui Isidorus Hispanensis metropolitae praefuit, constitutum, sed etiam privatim ab eodem Isidoro relatam in lib. VII. Etymolog. cap. 12. totidem pene verbis. »

Ceterum canonem XX. superius recitatum conc. Tolentani I. post Suarez tom. III. de *Sacr. confir.* disp. 34. sect. 1. Binius exponit de unctione caeremoniali, quae in solemnibus baptismis in vertice baptizandi adhibetur. Ast praeter Morinum et Holstenium, qui ostendunt de chrismae sacramentali, quae fit in fronte, esse omnino intelligendum illum canonem, id ipsum efficiunt Cabassutius in *Notitia ecclesiastica* Ludg. 1680. p. 210. ubi agit de can. I. et II. conc. Arausicani I. et Constanti in not. [c] ad cap. 5. epist. s. Innoc. I. ad ep. Eugubium, ubi et illud observat s. Innocentium cum scribit: « De designandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo, fieri licere. Nam presbyteri licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent, » observat, inquam, apparere tum ex superioribus decretis ac totius epistolae proemio, hoc cum maxime cavere voluisse, ne Ecclesia, quae a Romana fidem susceperunt, ad alienos ab ejusdem Ecclesiae consuetudine ritus declinarent; moremque ei gessisse conc. Hispan. II., Theodulphum episc. Aurelianensem, conc. Parisiense VI., Meldense, etc.

Vanroy, Morinus; atque hi plerumque censent, chrisma impositioni manuum substitutum fuisse. 3. Aliqui existimant, in alterutra seorsim sumpta eam sitam esse, ita ut unaquaeque materia plena sit atque adaequata, ut Ruardus Tapperus et Morini editor (1). 4. Alii denique, quales recentiores fere omnes sunt, arbitrantur tum in manuum impositione, tum in chrismae unctione simul usurpatam, essentialem et adaequatam hujus sacramenti materiam agnoscendam esse; sic inter ceteros Natalis Alexander, Merbesius, Jueninus, Lud. Habert, Tournelius, Drouvenius, etc. Sed praeter omnibus card. Orsi in laudata dissertatione *historico-theologica de chrismae confirmatorio* (*Praesertim cap. 3. et seqq.*).

Praecipua fundamenta primae sententiae sunt: 1. auctoritas Scripturarum, quae solam manuum impositionem memorant; 2. silentium veterum ritualium et pontificalium circa chrismae unctionem; 3. ea patrum testimonia in quibus mentio fit solius manus impositionis (2).

Secundae sententiae patroni 1. urgent potissimum Euchologia et praxim Graecorum et orientalium omnium ecclesiarum, in quibus non nisi chrismae consignatione confirmatio dari consuevit. 2. Deinde proferunt auctoritatem etiam latinorum scriptorum, qui pariter solam unctionem commemorant, et antiquissimos ecclesiarum etiam occidentalium rituales libros, in quibus sola chrismae unctio praescribitur. 3. Demum nituntur hanc sententiam communire auctoritate Innocentii III. et Eugenii IV. docentium, unctionem suffectam fuisse impositioni manuum, pro Ecclesiae facultate decernendi in specie illorum sacramentorum materiam et formam, quae Christus tantum in genere ut aiunt, praescripsit. Sic enim loquitur Innocentius III. cap. *Cum venisset, extra de sacra unctione: Per frontis chrismae unctio manus impositio designatur quae alio nomine dicitur confirmatio* (3). Eugenius vero IV. in decreto pro unione Armenorum haec habet: *Loco manuum impositionis datur in Ecclesia confirmatio* (4). His additur Moguntina synodus an. 1549. celebrata, quae cap. XVIII. docet: *Hoc sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus apostolorum ex eorundem traditione, adhibita chrismae unctio coepisse conferri* (Ibid. col. 2118).

Qui tertiam sententiam tuerent, argumentis pugnant-

(1) In nota [a] ad cap. 8. Diss. de Confirm. Morini. Hic censet et manus impositionem et chrismae unctio, materiam essentialem esse sacramenti confirmationis, sed nunc utramque simul, nunc alterutram tantum, pro diversa locorum, temporum, ecclesiarum consuetudine. Ubi vero utraque simul adhibetur, nihil plus conferri, quam si alterutra adhibetur; dari per utramque simul, dari per alterutram Spiritum s. Quod illustrat exemplo eucharistiae qua nihil plus confertur, sive alterutra, sive utraque species distribuatur.

(2) Cf. apud Trombelli op. cit. tom. I. Dissert. V. sect. 2.

(3) Cf. in *Gestis Innocentii III.* a Steph. Baluzio vulgatis ante epist. collect. Paris. 1682. tom. I. § 76. pag. 38.

(4) Apud Hard. *Acta conc.* tom. IX. col. 438. Quae verba ut reliqua omnia quae ad sacramenta spectant, sicuti alias animadvertimus, desumpta sunt ex Opusculo V. s. Thomae de Sacramentis.

utrusque opinionis seorsim sumptis pro temporum diversitate.

Qui demum quartam amplexi sunt, in medium afferunt omnia documenta sacrarum Scripturarum, sanctorum patrum, nec non ritualium et euchologorum, quibus se muniunt theologi, qui alteri ex recensitis sententiis adstipulantur: observant praeterea patres et euchologia promiscue commemorare aut tantum impositionem, aut chrismae unctionem, imo interdum ac passim utramque conjungere, ut Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, aliique a nobis recensiti, cum ageremus de hujus sacramenti veritate (1).

In hac porro opinionum discrepantia nos animadvertimus, quartam sententiam commodiorem esse, utpote quae hoc lucrum habeat, ut aliarum praesidia sibi vindicet omnia; et omnes difficultates, quibus unaquaeque trium priorum urgetur, facile declinet. Nec enim potest oppugnari nisi argumentis, ut vocant, negativis, quibus argumenta positiva opponuntur. Adidimus quod circa primam sententiam adversarii animadvertant, Scripturae loquendi usum, ei non omnino adstipulari, cum soleat sacramentum denominare ex aliquo tantum ritu; Scripturam praeterea non esse unicum doctrinae catholicae fontem, sed insuper dari traditionem; difficile porro est, rejecta chrismae unctio, ex veteribus monumentis ostendere veritatem hujus sacramenti. Martenius, ingenti numero ordinum confirmationis in medium adducto, evincit, semper praescribi unctionem in illis ordinibus, in quibus ritus confirmationis ex professo describuntur; in iis vero, in quibus siletur de chrismae unctio, ut plurimum pariter nullam mentionem haberi manuum impositionis, sed solam orationem praescribi, quia cum infantibus plerumque baptismum conferretur a sacerdotibus, qui absque delegatione confirmare non poterant, hinc sola oratio ab ipsis recitabatur quin confirmationem administrarent (2).

Circa secundam sententiam adnotant adversae partis theologi: 1. falsum esse, vetera euchologia et praxim orientalium rejicere manuum impositionem. Etenim Renaudotius ostendit eam in non paucis euchologiis offendi, atque concludit: *Impositio manuum in plerisque graecorum libris ritualibus praescripta reperitur, quamquam ut praecipua confirmationis pars non habeatur. Quod non ideo fit, quasi graeci et orientales magnam in impositione manuum efficaciam non agnoscant, sed quia, cum illa in omnibus ferme sacramentis fiat, unctionem, quae paucorum propria est, principalis materia tenere locum existunt* (3). Renaudotio concinit doctissimus Jos. Simon Assemanus, qui eandem manuum impositionem praeterea invenit in rituali nestorianorum in Chaldae degentium (4). 2. Falsum praeterea esse animadvertunt, patres et scriptores ecclesiasticos, sive graecos sive latinos,

(1) Harum sententiarum fundamenta cf. apud Trombelli loc. cit. sect. 5. et 4.

(2) *De antiquis eccl. ritibus* lib. I. cap. 2. art. 5. § 7.

(3) *Perpetualité de la foi* liv. II. ch. 11.

(4) *Bibl. Orient.* tom. III. p. 2. *Triseri. de syris Nestorianis*, pag. 272. et seqq.